

Q. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

ECCLESIA

QUIBUSDAM

PONTIFICIORUM ERRORIBUS
OPPOSITA

Quam

DEO clementer adjuvante

PRAESIDE

GODOFREDO HOFFMANNO

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINAR.
DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,
ET ECCLESIAE DECANO,

Sincerum suam ergà agnitam veritatem Evangelicam amorem ac desiderium in eâ magis magisque proficiendi publicè professurus

Die Jun. MDCCXXIV.

In aulâ Theologorum novâ
defendendam suscepit

JOSEPHUS ANTONIUS ab EHRENREICH, Starader

antehâc Sacerdos & Confessionarius Principis PORZIA Clagenfurti,
nunc verò Ecclesiae Lutherano-Evangelicae Profelytus.


coll. diss. A
80, 7

TUBINGÆ,

Literis HIQBI FRANCKII.

54. A 180(7).





I. N. F.

N nuperâ dissertatione *Anti-Papæa* totam tractationem de præcipuis Pontificiorum erroribus circa doctrinam de ECCLESIA in quatuor classes distribuimus, & Primò quidem de *Capite Ecclesiæ visibili* egimus per IV. Assertiones, quibus probatum dedimus I. *Quòd Deus nunquam constituerit Caput aliquod totius Ecclesiæ visibile & Monarchicum, neque Ecclesiæ Christi tali capite Vicario opus habeat.* II. *Quòd Petrus non fuerit Monarcha seu totius Ecclesiæ caput & Princeps ab ipso Christo constitutus.* III. *Quòd nunquam fuerit Episcopus Romæ, neque ibi Monarchiam Ecclesiasticam exercuerit, consequenter nec sedem Papalem ibi erexerit.* Et denique IV. *Quòd Pontifices Romani, si vel maximè Petrus Romæ Episcopus fuisset, veri ac genuini ejus successores non sint.* Quibus ad calcem dissertationis subjunximus Conclusionem, quid de POTESTATE PONTIFICIS ROMANI, quam summam in *spiritualibus & temporalibus* sibi arrogat, sit habendum. Jam verò ubi ad *secundam & reliquas Sectiones* hujus materiæ progredimur, desiderio Profelyti nostri DN. ab EHRENREICH, specimen aliquod publicum edere cupientis satisfacturi, silentio heic minimè prætermittenda videtur vexata illa, quæ sub initium statim Reformationis à nostratium quibusdam mota fuit,

Q U A E S T I O :

Num Pontifici Romano Superioritas in alios Episcopos saltem Jure humano etiam à nobis pacis & concordia causa permitti posset, si quidem eam jure Divino sibi non competere ipsemet agnoscere & fateri vellet?

Ubi negari certè non potest, ipsum B. LUTHERUM initio in hâc sententia fuisse, prout id evidenter colligi potest ex Epistola ejus ad Georg. Spalatinum de Lipsiensi disputatione, & resolutionibus Propositionum disputatarum Epistolæ subjunctis, ubi ait: *De primatu Romanae Ecclesiae acriter certatum est. Ego primatum honoris non negavi, sed nec potestatis dedi, saltem jure divino, nihil repugnaturus, imò constanter professurus, ac defensurus, si factò tantum vel jure humano eum habeat. Nihil enim magis quero, quàm ne à summa sede S. Petri & Pauli ullâ causâ quisquam recedat, aut obedientiam debitam subtrahat. Solùm ne tot S. Patres in Cælo regnantes, qui in Oriente viventes sub Romanâ sede non fuerunt, contra Jus divinum egisse concedam.* Postea verò Megalander mentem suam mutavit, adeò ut in L. de Captiv. Babylon. scriberet: *Eccius & Emserus cum conjuratis suis de Primatu Papæ me erudire cœperunt, atque hic etiam, ne hominibus tam doctis ingratus sim, confiteor, me valde promovisse ipsorum operâ. Nempe cum negassem, Papatum esse Juris divini, admisi esse humani Juris. Sed ut audiivi & legi subtilissimas subtilitates istorum Tropulorum, quibus suum idolum fabrè statuunt, scio nunc & certius sum Papatum esse regnum Babylonis & potentiam Nimrod robusti venatoris &c.* De MELANCHTONE verò ex subscriptione Articulis Smalcaldicis ab ipsemet facta itidem constat, quod tunc temporis in hanc opinionem valdè inclinârit. Ita enim illa habet: *Ego Philippus Melancton supra positos articulos approbo, ut pios & Christianos, de Pontifice autem statuo, Si Evangelium admitteret, posse ei propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & in posterum sub ipso erunt, superioritatem in Episcopos, quam*
alios

alioqui habet jure humano, ETIAM à NOBIS permitti. De quâ ipsâ clausulâ observatu digna sunt, quæ Ill. SEKENDORFIUS in Comm. suo de Lutheranismò annotavit L. III. Sect. 16. §. LV. p. 153. ubi ait: Extat in Archivo autographum ejus, sed de die, quo subscriptiones & horum articulorum & eorum, quos Melanchthon de Papatu composuit, facta sunt, nihil certi referre possum, adeoque nec asseverare, quod ad Lutheri notitiam Melanchthonis illa restrictio pervenerit. Dixerim potius Melanchthonem, si Lutherus non tam periculose decubisset, & subscriptioni prasens adsuisset, ausurum non fuisse, ut illam adscriberet; Satis enim patet, opponi eam judicio Lutheri in articulo quarto, ubi Pontificem ne humano quidem Jure cum emolumento Ecclesie pro capite haberi posse, sed Episcopus omnibus par jure competere statuit. Isti vero Melanchthonis opinioni nullus Theologorum, qui aderant, accessit. Johannes quidem Æpinus, Superintendens Hamburgensis eò primùm inclinaverat, & hæc verba subscriptioni nominis sui adiecerat: De superioritate Pontificis Dn. Philippi sententiæ in fine additæ assentitur cum omnibus Hamburgensibus Concionatoribus; Verùm & nomen suum & additionem istam cancellavit, & denuò nomen suum subscripsit, ut in editione articulorum legitur, (absque mentione officii.) Unde apparet, non ipsum saltem à glossa illa Melanchthonis recessisse, verùm & neminem præterea fuisse, cui illa placeret. Id tamen, (hanc Æpineus subjungit Vir Illustris) consideratis, quæ ante & post conventus illius tempora, cum de concordia tractatum est, acta sunt, ita malim intelligere, quod tempestivum tunc visum non fuerit, talia disertè exprimere, quàm quod nulla plane prærogativa inter Episcopos Pontifici, salvis iis, quæ de religionis & cultus puritate prius constituenda erant, humano jure aut pacto concedi posse existimaverint. Neque aliud sensisse videtur is, qui censuram ad subscriptionem Melanchthonis Tom. VI. Altenb. fol. 1241. (Tom. VI. Jenensii German. pag. 522.) addidit sequentem: O quantum mutatus ab illo! Zuvor hatte er gesagt, so der Pabst das Evangelium zuließe, daß mans allenthalben frey öffentlich lehren und predigen dürffte, sollte man ihm seinen primat über die Bischöffe, die er sonst ohne das unter sich hat, nachgeben, und das ju-

re humano. Nun aber gibt man dem Pabst den Primat nicht allein über die Bischöffe, so er sonst hatt, sondern auch über die unsere, die zuvor den Anti-Christ verdammet, verbannet, und sich gäntzlich von ihm abgesondert haben; Desßgleichen gibt man auch seinen Bischöffen das Regiment über die Kirche Christi, so doch der Pabst mit seinen Wölffen, denen Bischöffen, das H. Evangelium jetzt greulich, dann je zuvor geschehen, verflucht, lästert, verdammet, und vvider die Kirche Christi und uns arme Christen auffß greulichste vwie ein rechter Bar-Wolff, ja vwie der leidige Teuffel selbst, beyde mit Feuer und Schwverd und vwie er nur immer kan und vermag, vvüet und tobet. Das heist, meyn ich, nach der neuen Christen Sprach gemäß gehandelt. Quisquis autem autor hujus censuræ fuerit, quæ loco allegato subscriptionibus reliquorum, qui Melanchthonem sequuntur, Theologorum interjecta est, satis duram eam esse per se liquet, & quod autor illius clausulam istam non saltem pro intempestiva, sed & maximè periculosa & veritati evangelicæ inimicâ habuerit. Desumpta verò ea est ex editione articulorum, quæ prodiit Anno. 1554. cum præfatione *Io. Stoltzii* concionatoris aulæ Vinariensis, & *Ill. Sekendorffio* simultatem redolere videtur, quæ illo tempore inter Electorales & Ducales Theologos versabatur. Neque tamen reperitur in editionibus Wittenbergensibus, neque in exemplo, quod Libro Concordiæ insertum est; ut adeò consensu postea secuto extincta & oblitterata qualiscunque illa censura esse videatur. Negat quoque *ANDR. RIVETUS*,* ipsum Melanchthonem in hac sua sententia deinceps constanter perstitisse, & contrarium adductis aliquot documentis clarissimè ostendit ac generalem hanc regulam ponit: *De Melanchthonis sententia circa primatum, non judicandum esse ex iis, quæ initio concessit receptæ consuetudini, cujus emendationem sperabat, sed ex scriptis ejus posterioribus, quibus sententiam suam aliter exposuit, postquam scilicet vidit id frustra à se expectari.* Quicquid verò tandem hujus rei sit, certum omnino

* (in Animadv. ad Grotii annotata in consultationem G. Cassandri ad Art. VII.)

nò est, clausulam istam non constituere partem librorum symbolicorum, sed privatam solùm unius Philippi sententiam exprimere, adeoque iis, quæ in ipsis Articulis Smalcaldicis de Papatu dicuntur, minimè præjudicare aut derogare posse. Quid? quod addita conditio communiter habeatur pro moraliter impossibili, ita quidem, ut L. OSIANDER Centur. XVI. L. II. c. 37. f. 285. hanc glossam adjecerit, *id est, si Diabolus fieret Apostolus. Si enim Papa Evangelium admitteret, jam non esset Papa, nec se extolleret supra alios Episcopos, sed audiret Christum dicentem: Vos autem non sic. Luc. 22.*

In primis verò nimiam istam Melanchthonis moderationem Electori Saxonix admodum displicuisse constat e literis ejus ad Lutherum datis, in quibus verbis seqq. valde emphaticis usus est: *So Wir aus guter Meynung und um Friedens Willen, Wie M. Philippus vorgibt, ihn den Pabst einen Herren bleiben lassen, der über uns und unsere Bischöffe, Pfarrer und Prediger zu gebieten, setzen Wir uns selber in die Fahr und Beschvverung, vveil er doch nicht ruhen vwürde, und seine nachkommen, uns und unser allerseits Nachkommen gantzlich zu vertilgen und auszurotten, vvelches vvir doch, vveil uns GOTT davon befreyet und erlöset, gar nicht bedörffen, sollte auch Wohl mit unserer Klugheit, da Wir einmahl von seiner päbstlichen Gefangnuß durch GOTT befreyet vworden, und uns vvider in solche Gefährlichkeit begeben, und also GOTT versuchten, von GOTT über uns verhänget werden, das sonst ohne allen zweiffel wohl bleiben wird.* Hæc, nemine suggerente, propriâ manu ad Lutherum scripsit Elector, cujus singularem prudentiam in hoc quoque admirari decet, quòd gnarus licet mollioris, quam Melanchthon tunc fovebat, sententiæ, jussit tamen & curavit, ut ille Tractatum hunc de *Potestate Papæ &c.* conscriberet, in quo certè non minori zelo quàm ipse Lutherus Pontificum dominatum & Episcoporum excessus, partim ex scriptura, partim ex historia impugnavit, omnesque Christianos in genere, cum primis autem Reges & Principes, tanquam præcipua membra Ecclesix,

sua,

fixæ, graviter hortatus est, ne se participes reddant impie doctrinae, blasphemiarum & injustæ crudelitatis Papæ, quippe in cujus Regnum nota Anti Christi planè competant. Quæ sanè cum clausula ista malè cohærent. Quis enim sanæ mentis Antichristo superioritatem in universam Christi Ecclesiam etiam jure saltem humano permittat? Quam animi levitatem & imprudentiam in Calixto quoque & ejus sequacibus ægrè tulerunt reliqui Theologi Evangelici, qui hodiè omnes ac singuli subscribunt sententiæ & verbis Lutheri, quæ in Art. Smalcald. P. II. Art. IV. p. 313. ita sonant: Pono autem Papam fateri, se non jure divino, sive ex mandato DEI esse Supremum, sed ut concordia & unitas Christianorum adversus sectarios & hereticos commodius conservari possit, caput certum esse eligendum, cui cæteri omnes quasi innitantur, atque tale caput per homines eligi & in hominum quoque electione & potestate situm esse, illud caput ut mutant & semoveant, sicut Constantiense Concilium hac propemodum ratione tres Papas removit, & quartum elegit: Pono, inquam, hæc à Papa & sede Romana ita dici & accipi, (quod tamen impossibile est, sic enim universum suum regnum & statum immutari, everti & destrui pateretur, omniaque jura & volumina sua, id quod, ut paucis dicam, nunquam faciet) tamen NEQUE HOC MODO CONSULERETUR ECCLESIAE Christiana, sed plures, quam antea, sectæ oriturae essent. Si enim non ex mandato Dei, verum ex hominis libera voluntate capiti isti obedientia præstanda esset, facile & brevi tempore contemptum, tandem nullum membrum retineret, nec etiam perpetuo Romæ aut quovis alio in loco illud esse oporteret, sed ubicunque & in quacunque Ecclesia DEUS Virum talem, qui ad tantum munus obeundum idoneus esset, largiretur. Hæc res perplexa & confusionis plena futura esset. Quapropter Ecclesia nunquam melius gubernari & conservari potest, quam si omnes sub uno capite, quod est Christus, vivamus, & Episcopi omnes pares officio, (licet dispares sint, quoad dona) summa cum diligentia conjuncti sint unanimitate doctrina, fidei, Sacramentorum, orationis & operum charitatis, &c.

SECTIO

SECTIO SECUNDA. DE VERIS ECCLESIAE MEMBRIS CAPITI SUBORDINATIS.

§. I.

Dictum est in superioribus, Pontificios circa hoc punctum peccare partim in excessu, partim in defectu; In *excessu* quidem, quando omnes Ecclesiae Romanae doctrinam exterius profitentes & hujus capiti adhaerentes pro veris proprieque sic dictis Ecclesiae Christi membris habent, etiamsi verè *renati & pii non sint*; In *defectu* autem, dum *non-baptizatos, haereticos, Schismaticos & excommunicatos* quoscunque ab Ecclesia simpliciter & sine ullâ distinctione excludunt. Ita enim **BELLARMINUS** * definit Ecclesiam, quod sit *cætus hominum ejusdem Christianae fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii, Romani Pontificis*. Et mox subjungit, quod ex hac definitione facile colligi possit, qui homines ad Ecclesiam pertineant, & qui ad eam non pertineant. *Tres enim, ait, sunt partes hujus definitionis: 1. Professio veræ fidei. 2. Sacramentorum communio, & 3. subjectio ad legitimum Pastorem, Romanum Pontificem. Ratione primæ partis excluduntur omnes infideles, tam qui nunquam fuerunt in Ecclesia, ut Judæi, Turcæ, Pagani; tam qui fuerunt & recesserunt, ut hæretici & Apostatæ. Ratione secundæ excluduntur Catechumeni & excommunicati, quoniam illi non sunt admissi ad Sacramentorum communionem, isti sunt dimissi. Ratione tertiæ excluduntur Schismatici, qui habent fidem & sacramenta, sed non subduntur legitimo Pastori, & ideo foris profitentur fidem & sacramenta recipiunt. Includuntur autem omnes alii, etiamsi reprobi, scelesti & impii sint.*

Quanquam autem multum litis vocabulariæ heic subesse videri possit, dum adversarii aliam Ecclesiae & membrorum

B

ejus

* L. III. de Eccles. milit. c. II. col. 147.

ejus definitionem supponunt, cui deinceps hæc tanquam confectaria superstruunt, quòd à communionem Ecclesiæ excludantur omnes illi, qui in una vel altera parte definitionis deficiunt, includantur verò omnes alii, quibus definitio applicari potest; Probè tamen advertendum est, quòd adversarii subdolâ hæc suâ definitione insidias nobis struant, & quasi per cuniculos agant, id maximè intendentes, ut hoc artificio obtineant 1. *Ecclesiam esse semper visibilem* & quasi externam quandam politiam, quæ consistat in professione unius fidei, communionem eorundem sacramentorum & subjectionem ad Romanum Pontificem. Ita enim colligunt: Ut quis sit verum proprieque dictum Ecclesiæ membrum necesse est, ut fidem & doctrinam Ecclesiæ externè profiteatur, quod sufficit, si vel maximè de cætero verè renatus & pius non sit; consequenter Ecclesia semper est visibilis, & in oculos vel sensus incurrit. 2. *Fidem veram absolvi solo assensu*, nec requiri ad eam interiorem cordis motum & fiduciam. Quod si enim impii sunt vera membra Ecclesiæ, eosdem etiam verè fideles esse oportet, cum nemo sit membrum Ecclesiæ verum, nisi qui fidelis est; Unde Concilium Tridentinum *fideles adulteros, fideles fures, fideles fornicarios* commemorat, scilicet ob nudum assensum, quem de cætero doctrinæ Ecclesiæ præbent, etsi verâ cordis fiduciâ interim destituantur. 3. *Papam etiam impium esse posse caput Ecclesiæ*. Quando enim nos ita argumentamur: Quicumque non est membrum Ecclesiæ propriè dictum, is multò minus esse potest membrum principale, hoc est, caput Ecclesiæ; A. Pontifices impii &c. E. Nullam aliam elabendi rimam inveniunt adversarii, quàm ut minorem negent, & fingant, etiam impios esse vera membra Ecclesiæ. Quam fraudem Bellarminus dissimulare non potuit, dum ingenuè falsus est, quod ex sententia eorum, qui malos membra Ecclesiæ æquivocè sic dicta statuunt, omnino sequatur, *Pontificem malum non esse caput Ecclesiæ, neque alios Episcopos, si mali sint, suarum Ecclesiarum capita esse posse*; Cujus consequentiæ vim aliter effugere non potuit, quam dicendo, Pontifices & Episco-

pos

pos malos non quidem esse vera membra corporis Christi, quantum attinet ad rationem *membri*, esse tamen verissima membra in ratione *instrumenti*, quatenus verbum prædicant, sacramenta administrant, & ita Deus per illos operatur. * Quâ distinctione nihil magis nugatorium aut contradictorium cogitari potest. Membrum enim esse, nec tamen rationem veri membri habere, manifeste implicat. Neque omne instrumentum statim & rationem membri habet, cum ipso etiam Diabolo Deus utatur tanquam instrumento in exercendis piis, & puniendis malis, quem citra blasphemiam membrum Dei nemo propterea appellaverit. Quare operæ pretium erit, in hanc ipsam definitionem paulo curatius, missa omni *λογομαχία*, inquirere. Spuriam verò eam esse, vel ex ipsis consecrariis ejus liquet, & cum primis ex eo, quod juxta eam membra Ecclesiæ vera & propriè sic dicta esse dicuntur etiam *scelesti & impii*, quos tamen nullam cum capite Ecclesiæ, Christo ejusque Spiritu, communionem habere *ἐξαγώνιον* est, & quos proinde non magis membra Ecclesiæ esse fatetur *Cardinalis*, ** quàm *capilli*, aut *ungues*, aut *mali humores* corporis humani membra sunt. Quis autem hos membra verè & propriè sic dicta esse somniet? Nimirum ex sententia adversariorum id unum tandem sufficit, ut quis pro vero Ecclesiæ membro habeatur, si modo is Papam pro capite agnoscat, & hujus potestati sese subjiciat. Quemadmodum benè observat SCHERZERUS, particulam *præcipuè*, quam de tertia definitionis parte adhibuit *Cardinalis*, *vulpinam* esse, & primâ quidem fronte *comparativam* videri, reverà autem *exclusivam* esse & *privativam*; Qui enim Pontificem Romanum pro legitimo pastore non habet, eo ipso Catholicus non est, ex mente Bellarmini, quicquid etiam sentiat de aliis fidei Christianæ capitibus, & si vel maximè de cœtero fidem & sacramenta habeat, prout de *Schismaticis* dicitur.

B 2

§. II.

* l. c. col. 173.

** l. c. c. II. §. penult.

§. II.

NOSTRA igitur huic Adversariorum opinioni directè opposita sententia hæc est, quòd *soli & omnes renati & sancti* sint membra Ecclesiæ verè & *proprie* sic dicta, sive dein sint *baptizati* vel *Catechumeni*, *excommunicati* vel *secus*. De *hereticis* verò & *Schismaticis* deinceps pronuntiabitur sub distinctione. Ex opposito autem, quicumque verâ fide & sanctimoniâ vitæ destituuntur, illi non sunt vera Ecclesiæ membra, etiamsi vivant in Ecclesia, verbum DEI audiant & sacramentis utantur. Est enim Ecclesia *proprie Congregatio Sanctorum*, in quâ *Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur sacramenta*, juxta *AUGUST. CONFESS. Art. VII.* sive, (prout *APOLOGIA* fusius explicat, p. 144. sq.) *non est tantum societas externarum rerum ac rituum, sicut alia politia*, (quemadmodum *Bellarminus* vult l. c. Ecclesiam esse cœtum hominum ita visibilem & palpabilem, ut est cœtus populi Romani, vel regnum Galliæ, aut Respublica Venetorum) *sed principaliter est societas fidei & Spiritus S. in cordibus, quæ tamen habet externas notas, ut agnosci possit, videlicet, puram Evangelii Doctrinam & administrationem Sacramentorum consentaneam Evangelio Christi.* Id quod deinceps pluribus argumentis è Scriptura, Symbolo Apostolico, & Decretis Pontificum petitis confirmat, quorum summa hûc redit:

I. Ecclesia est *corpus Christi* mysticum, quod Spiritu suo animat, sanctificat, & gubernat. Quare illi, in quibus Christus nihil agit, non sunt membra Ecclesiæ, vera scil. viva & proprie sic dicta, sed mortua, *ὀμνύμας* sic dicta, non re, sed solo nomine talia. Qui enim Spiritum Christi non habet, non est ejus Rom. II. 9. Qui verò Christi non est, nec Ecclesiæ Christi membrum esse potest.

II. Ecclesia, juxta Symbolum Apostolicum, est *Communio Sanctorum*, qui habent societatem inter se ejusdem Evangelii seu doctrinæ non solùm, sed & ejusdem Spiritus Eph. IV. 4. 1. Cor. XII. 13. qui certe non habitat in impiis, sed in solis credentibus, tanquam Filiis Dei. Gal. IV. 6.

III. Ad hæc Ecclesia est *regnum Christi*, distinctum contra regnum Diaboli; necesse igitur est impios, cum sint in regno Diaboli,

li,

li, non esse Ecclesiam aut vera hujus membra, quanquam in hâc vitâ, quia nondum revelatum est regnum Christi, sint admixti Ecclesiae, secundum externam societatem signorum, id quod neque ad genuinam definitionem Ecclesiae, neque ad veram rationem membri Ecclesiae sufficit. *Cum enim definitur Ecclesia, necesse est, eam definirî, quae est vivum corpus Christi, ut constet, quae res principaliter nos efficiat viva membra Ecclesiae,* inquit *Apologia* p. 146. Hæc tam clara sunt ac manifesta, ut *Bellarminus* ipse tandem fateri necesse habuerit, Ecclesiam esse corpus vivum & animatum, malos autem, qui nullam habent internam virtutem, & saltem ore fidem profitentur, & de sacramentis communicant sub regimine pastorum, esse quidem de corpore Ecclesiae, sed non de anima,* nec aliter se habere, quam sicuti *capilli aut unguis, aut mali humores in corpore humano.* Et rursus:** malos non esse membra viva corporis Christi, & hoc significari illis scripturæ locis, quæ suprâ allegavimus. Quod verò propterea æquivocè tantum sint membra, multos quidem ex ipsis Doctoribus Pontificiis, in specie, *Johannem de Turrecremata, Petrum à Soto, Melchiorum Canum* & alios concedere ait, ipse verò non probat saltem ideò, quia exinde sequatur, *Pontificem malum non esse caput Ecclesiae, & alios Episcopos, si mali sint, non esse capita suarum Ecclesiarum, cum caput non sit humor aut pilus,* (prout antea de malis dixerat) *sed membrum & quidem præcipuum.* Quo ipso capillos & humores membris corporis contradistinguit, & reverà sibimet contradicit, atque insimul ostendit, se non aliam ob causam absurdam hanc sententiam tueri, uti jam supra observavimus, quàm ne veritati sole meridiano clariori cedere cogatur. Quod si enim mali in Ecclesiâ se habent ut capilli aut vitiosi humores in corpore, quæ ipsius Cardinalis verba sunt, manifestum est, quod mali Pontifices aut Episcopi Ecclesiarum suarum capita, atque adeò membra præcipua dici nequeant, nisi valdè æquivocè.

§. III.

Ad argumenta nostra, in quibus dictum est, Ecclesiam propriè esse communionem sanctorum, corpus & regnum Christi, REGERIT

B 3

idem

* L. 3. d. Eccles. c. II. col. 148.

** l. c. col. 172.

idem Cardinalis, sufficere sanctitatem *professionis*, & unionis saltem *externæ*; * Neque necesse esse, ut Christus in omnibus suis membris operetur, cum quædam membra sint *arida & mortua*, quæ reliquis adhæreant solum *externâ* conjunctione. Et licet regnum Christi distinctum sit à regno Diaboli, posse tamen eosdem homines pro diverso respectu ad utrumque regnum pertinere; ad regnum Christi, quantum ad fidei professionem; ad regnum autem Diaboli, quantum ad morum perversitatem. ** At quàm frivola hæc sint & jejuna, vel cæcus videat. Datur quidem communio seu societas externa inter bonos & malos, uti ipsa *Augustana Confessio* ejusque *Apologia* in locis allegatis docent; hæc verò non est *communio illa sanctorum*, per quam Ecclesia vera definitur in symbolo, sed per hanc denotatur communio interna Spiritus, de quâ Paulus loquitur *II. cor.* à quâ malos exclusos esse ex ipsis terminis liquet. Qui verò ad regnum Diaboli pertinent, quod de malis fatetur *Bellarminus*, certè cives & membra regni Christi nullâ ratione esse possunt, cum nulla Christo cum Belial sit *communio*, *2. Cor. VI, 15.* neque Christus pro suis ullo modo agnoscat, qui doctrinam ejus ore tantum profitentur, & illud *Domine, Domine* plenis buccis ingeminant. *Matth. VII, 22.*

§. IV.

De cætero, uti jam aliquoties dictum, non negamus, etiam multos hypocritas & malos in hæc vitâ veris Ecclesiæ membris admixtos esse ratione externæ societatis, hanc verò ad rationem veri ac propriè sic dicti membri sufficere pernegamus. Nec tamen duas fingimus Ecclesias, quod adversarii nobis perperam tribuunt, *** sed unam eandemque Ecclesiam dupliciter considerari posse inuimus, respectu societatis vel *externæ*, quæ in professione fidei & usu Sacramentorum consistit, vel *internæ*, quæ vinculo Spiritus continetur. Priori modo & respectu etiam malos & hypocritas ad Ecclesiam pertinere, ultrò largimur; at posteriore modo solos verè

* l. c. col. 173.

** l. c. col. 178.

*** l. c. col. 146.

verè credentes & sanctos ad eam pertinere asserimus, atque ita distincte loquimur de Ecclesiâ, inhærentes vestigiis Scripturæ, quæ nomen Ecclesiæ accipit interdum pro toto *cœtu vocatorum*, in quo omnes, qui externâ professione sese aggregant ad auditum verbi & usum Sacramentorum, pro Ecclesiæ illius membris habentur, quo pertinent similia de agro, de lagenâ &c. Matth. XIII. 17. 48. Interdum vero pro *cœtu credentium & sanctorum*, (vel ut alii loquuntur, *electorum* latè sic dictorum) qui non solùm externâ fidei professione & usu sacramentorum externo, sed etiam vera fide cordis & interiore Spiritûs regeneratione donati sunt, quique regulariter non sunt extrâ cœtum vocatorum, ut separatam ab hoc & distinctam constituent Ecclesiam, sed in ipso cœtu vocatorum reperiuntur, & soli DEO noti sunt, juxtâ illud 2. Tim. II. 19. Reliquum, quod superest, chartæ spatium precibus suis destinavit DN, RESPONDENS, cujus sequens est

EPILOGUS.

JAm igitur sub finem hujus dissertationis ad TE, Optime Maxime Deus, me convertito, Tibique gratias, quas mens mea concipere, lingua eloqui, vel & calamus exprimere valet, ago maximas, quod me è cœtu Pontificiorum ad communionem veræ Ecclesiæ Evangelicæ, è tenebris plusquam Cimneriis ad lucem Verbi Tui, è servitute plusquam Ægyptiacâ aut Babylonicâ ad excellentem illam filiorum tuorum libertatem evocare ac provehere per immensam tuam misericordiam dignatus es. Te mihi præsentem expertus sum, jam ab ineunte juventute mea, Tu porro præstantissimos stimulos addidisti, ut ex *Canobio Clagenfurtensi*, medios inter fratres (apud quos circa 11. annos vivere eoactus eram) publicè tandem die 23. Dec. 1722. Manè circa horam sextam impavidus egredi, illudque deserere religioni mihi amplius non duxerim; Sed & postea suavissimo Spiritûs Tui solatio mihi semper adstitisti, ut nihil me detinere, aut à proposito meo absterrere potuerit, neque amor Patriæ, neque avita Religio, neque tristes & graves curæ, quæ animum meum sæpè huc, sæpè illuc distrahebant, neque molestiæ viarum, neque pericula, quæ mihi sæpius Romæ, Venetiis, alibique imminebant: Et quid dicam de latronibus & falsis fratribus, qui plures mihi struxère insidias, ut nisi Tua, Clementissime Pater, dextera me sustentasset, rectoque duxisset tramite, penitus actum fuisset mecum. Tu porrò præsens mihi fuisti vel maximè in hoc *Ducatu Wir-*

ttembergico, & gratiam Ipsius SERENISSIMI DUCIS Regnantis mihi ita conciliasti, ut suasu Illustris Consistorii in Ducale Stipendium Theologicum, quod heic loci floret, me recipere, mihi que hospitium in eo præbere nullus dubitaret. Conserva me in veritate, quam nunc agnosco, divinissimâ, usque ad mortalis hujus vitæ terminum, & quemadmodum ejus antea osor & persecutor fui, ita misericordiam tuam flexo imploro poplite, velis me Spiritu Tuo diviniore perfundere, quo Evangelicam veritatem, quam toto jam corde amplector, & qua mihi nihil prius, nihil antiquius est, etiam aliis in cœtu, quem mihi assignaturus es, instillare studeam, omnesque ingenii mei nervos in gloria Nominis Tui celebranda, regni autem Diabolici viribus frangendis intendam. Scuto Tuo inexpugnabili commendo SERENISSIMUM PRINCIPEM, Dominum meum Clementissimum, cujus munificentia victum debeo hætenus & amictum, serva & conserva Potentissimum hunc Principem unâ cum Serenissima Familia ad Nestoris usque annos salvum incolumemque, largire Ipsi Regimen ex omni parte felicissimum, subditos, qui nullis aliis cedant obedientia. Tuæ benevolentia Paternæ trado Illustris Ducalis Consistorii Directorem DN. JOANNEM OSIANDRUM, quem Parentis vices explentem sum expertus unâ cum reliquis Dominis ASSESSORIBUS, qui pariter nihil omisere, quod ad salutem meam procurandam facere videbatur, retribue illis ex gratia omnia favoris specimina, quibus me immerentem cumulatissimè affecerunt, & exaudi preces meas, quas pro illorum salute perpetuâ hætenus in sinum tuum effudi, & per omnes vitæ dies effundere non desinam. Et cum omnium maximè ingratus essem, si Inspectores Illustris Stipendii Theologici Viros summè Reverendos, Amplissimos, Excellentissimosque silentio præterirem, liceat publicè heic de prædicare varii generis in me collata beneficia, additis suspiriis ardentissimis, velit Deus, qui Trinus est in personis, TRIGAM hanc VIRORUM circa veram Alumnorum felicitatem occupatorum conservare ad feros usque annos, Eosque cum splendidissimis familiis omni felicitatis genere quam clementissimè beare. Denique, bone Deus! converte oculos gratia Tuæ in dulcissimos Parentes meos & Propinquos, quos ego in hac vita vix unquam amplius visurus sum, & fac, quæso, pro imperscrutabili Tua Sapientia & bonitate infinita, ut & ipsi perniciosis Ecclesie Romanæ erroribus nuncium tandem mittant, & suavissima Evangelii luce mecum cœlitus irradiantur, ut in lumine Verbi Tui lumen videant fidei veræ ac salvificæ, & per hanc ad beatam fruitionem vitæ æternæ aliquando perducantur. Exaudi, Domine, preces meas propter Filium Tuum, Mediatorem nostrum unicum Jesum Christum, cui sit gloria, honor, & imperium in Sempiterna Secula!

Coll. Diss. A 180, Misc 7

